Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1593
Quelle:
Copyright:

visum Librario *Hussitae*, qui tamen in utroque nomine falli videtur. Adi *Codd.* CCCCXV. CCCCXVII. &c. Initium: *Eloquenti viro domino A. verbi dei seminatori in Praga* &c. Nota temporis ad calcem hujus Exempli nulla.

II. *fol.* 30. *Abjuracio Johannis de Alkmaria in concilio constanciensi facta, quod layci non debent aufferre bona temporalia a clericis.* Additum minio: *Male fecisti quod abiurasti. Penitebis in illo mundo.* Initium: *Cum in diuinis scripturis sanctus spiritus proclamat. Qui subtrahit aliquid a patre suo* &c. Inter alia: *Ego Johannes de Alkmaria clericus Traiecten. diocess. Magister in Artibus studij parisien. et in Theologia Baccalarius contra premissas* (de Bonis Ecclesiasticis) *doctrinas sanctissimas quandam scripturam composui XXX. articulos continentem, qua persuadere curaui Serenissimo et katholico principi Domino Regi Romanorum primo presentando eandem, et deinde eandem transmisi excellentissimo principi Regi Anglorum, licet nulli alteri communicauerim in scriptis, nec predicauerim uel in scholis docuerim, quod feci ductus simplicitate et ex malicia credens beniuolenciam tantorum principum per has mendaces fallacias acquirere et exinde temporalem compensacionem reportare* &c. En finem purissimum Reformatoris! Sub finem: *Et hanc confessionem et obligationem — volo dirigere ad Regnum Anglie Regi Regine et Baronibus ac Episcopis. et ad Opidum Alkmaria. vnde traxi originem* &c. Factum id esse post *Hussi* interitum, liquet ex his: *Qualis denique Johannes Hus in hoc sacro Constan. Generali Concilio iusto dei iudicio dampnatus fuerit* &c. Notae tamen chronologicae absunt; neque scio, utrum Scriptum istud memorabile lucem hactenus viderit.

III. *fol.* 32. *Quod layci non debent auferre a clericis bona temporalia.* Addit rubrica: *Falsum est.* Brevis Observatio, quae infit: *Quamuis in nulla unquam lege* &c.

IV. *fol.* 33. *Accusatio Regi vngarie super Sacerdotes Hussitas in Regno Boemie.* Additum minio: *Sigismundo* et *friuola et iniusta.* Est Epistola Concilii *Constant.* ad Caesarem, quae extat in *Collect. Labb. Concill.* edit. *Venet.* T. XVI. *col.* 286. Init: *Variis delationibus et clamore ualido* &c.

V. *fol.* 36. *Propter articulos subscriptos Johannes papa XXIII. est per Concilium Constanciense eiectus a papatu Anno 1415.* Extant in *Actis* Hardtianis T. IV. P. 3. p. 196. hoc initio: *Coram vobis sancta Sinodo Constan.* &c.

VI. *fol.* 50. *Processus circa condempnacionem Johannis pape supra et infra descriptus quem propter tot enormia condempnatum uelud alterum latronem Barrabam dimiserunt, Innocentes vero Magistros Jo. Hus et Jeronimum propter mendosos articulos et confictos condempnarunt.* Ita quidem